This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

EMONIS LVCII VRIEMOET

ORATIO FVNEBRIS,

CELEBERRIMO VIRO

IOANNI ARNTZENIO,

IVRISCONSVLTO, HISTORIARVM ET ELOQVENTIAE, NEC NON POESEOS, IN ACADEMIA FRISIACA, DVM VIVEBAT, PROFESSORI ORDINARIO,

EX DECRETO AMPLISSIMI SENATVS,

PVBLICE DICTA,

IN TEMPLO ACADEMICO.

Die XXI. *Ianuarii* MDCCLX.

LEOVARDIAE,
Apud GVLIELMVM COVLON, Inluſtr. Friſiae Ord. & Acad. Typogr. Ord. MDCCLX.

391. d.7



EMONIS LVCII VRIEMOET

ORATIO

CELEBERRIMO VIRO

IOANNI ARNTZENIO

PARENTALIS.

MAGNIFICE RECTOR.

CELEBERRIMI PROFESSORES, COLLEGAE HONORATISSIMI.

OPTIMI DEFVNCTI NOSTRI FILI ET COGNATE, VIRI NVNC MOESTISSIMI.

SPECTATISSIMI PORRO, PLVRIMVM REVERENDI, DOCTISSIMI, HVMANISSIMI, CVIVSCVMQVE LOCI ATQVE ORDINIS, AVDITORES.

TVQVE, CARA NOBIS STVDIOSAE IVVENTVTIS CONCIO.

CLariſſimorum Virorum, qui in publica luce verſati apud nos cum laude docuere, vita functorum, Oratione parentali celebrari memoriam & commendari poſteris, vetus, atque ab ipſis

Academiae natalibus ductum inſtitutum eſt. Quo quemadmodum maiores noſtri ſimilia exempla gentium plerarumque moratiorum, celebrium in primis, cum ſapientiae, tum eloquentiae laude, ſecuti ſunt; ſic, qui eos exceperunt, non interrupta adſiduitate ſervati moris, multis aliis, ipſisque, quod praefiſcine dixerim, Academiis ſociatarum Civitatum Belgii noſtri, egregio ſemper fuerunt pro exemplo. Quod enim alibi neglectius paullatim habitum, adeo ut non raro videamus & doleamus, ipſos interdum doctrina & meritis ſuis vere magnos Viros publice indictos abire; id adeo mordicus tenuerunt Friſii noſtri, & in aliis antiquarum legum ac conſuetudinum tenaciſſimi, ut vix unus alterve monſtra-

ri

ri queat, cui in munere ſuo (Profeſſionis ordinariae quidem, quam vocant, quamvis & in docentibus extra ordinem exempla proſtent) defuncto, habita Laudatio ſollemnis non fuerit.

Erunt quidem forte, qui repeririſſe in eo ſibi videantur, ut non minus univerſim in plerisque laudationibus funebribus, quod reprehendant. Nimis enim promiſcuum fieri humanitatis hoc officium; nec deeſſe ei ſaepe, ex oratoria levitate aut dicentis adfectu, naevos ſuos. Quibus ego quidem non per omnia adverſus repugnabo. Quid enim in humanis rebus ab omni parte perfectum eſt? Nec diffiteor, quum ſuperioribus annis in adornanda, ſumma, qua potui & ſerio volui, fide atque adcuratione, Academiae noſtrae hi-

ſtoria verſarer, hoc ipſum mihi in his, quae ex dictis funebribus haurienda erant, non raro pro cautela fuiſſe.

Ceterum, ne uſum optimum ac multiplicem, quem pluribus nihil attinet exponere, tollat abuſus aliquis, aequum eſt. Curent modo, qui naevos vident notantque, ne ipſi adfectu ſuo abrepti aperte nimium recidiſſe in eosdem iudicentur. Nec reprehendenda aut inſectanda acrius, quae vere in optimis Viris fuerunt laudabilia, exiſtimemus, hoc ſolo nomine, quod alia nobis de iſtis mens eſt; quodve refricari memoriam eorum rebus noſtris minus conducat. Condonemus etiam, quam veniam & petere & dare viciſſim omnes, qui publice dicunt, fas eſt, rhetorum exag-

gerationibus aliquid; quorum encomia non facile iisdem finibus, quos praefiniri convenit historicorum veri nominis elogiis, continentur. Laudemus tamen prudenter; intraque hunc consistere semper studeamus modum, ut simplex sigillum veritatis versetur adsidue ob oculos, nec amicitiae adfectus aut verborum volubilitas res ipsas temere praevertat. Hoc ipsa exigit ingenuitas; hoc posteritatis interest; hoc postulat denique res, quae hic agitur, meo quidem iudicio, maxime seria.

Hac ego mente, Auditores, hoc animo in praesentia lugubri habitu atratus prodeo; paucis verbis cohonestaturus, quem Domus moesta, quem Collegae amici, quem Auditores seduli, quem ipsae Humaniores Litterae, quo-

ad prodeſſe iis forte aliquamdiu adhuc vivus potuerat, ereptum ſibi his diebus dolent, Virum optimum, doctiſſimum, multisque per vitam ſuam dotibus de republica litteraria meritiſſimum, IOANNEM ARNTZENIVM. Cui, per annos prope ſeptemdecim Collegae honorando, hoc merito officium, non minus quam aliis ſuo tempore omnibus, decrevit ampliſſimus Senatus noſter. Mihi vero maxime id impoſuit, non pro amicitia, quae mihi cum Defuncto interceſſit; nec mea ſponte concitato, cuius nihil adparuiſſe adfirmo; ſed unice pro lege atque uſu Ordinis noſtri, qui ſuas cuique perorandi funebria vices tribuit. Ego itaque, uti, quod lex iubebat, ex eaque decretum clariſſimi Senatus, merito ſuſcepi ac lu-

lubens, nulla uſurus circuitione, neque ipſa inutili excuſatione tralaticia, qua mihi longe alius generis Philologiam profitenti, eximio humanioris litteraturae doctori parentaturo, facile ceteroquin opus eſſe video, rem mihi demandatam agere alacriter adgredior.

Vos interim, Auditores, animum, quaeſo, advertite.

Natales duxit Vir clariſſimus ex vicini Belgis noſtris Ducatus Cliviaci Vrbe inter primarias ad Rheni flumen, illic ubi amnis Lupiae aquas excipit, *Veſalia.* quam, diſtinguendam ab altera ſupra Confluentiam, ditionis Trevirenſis, Veſaliam alias inferiorem adpellare ſolent. Vrbe, hodierno maxime funeſtiſſimo bello Germaniae, nota omnibus. Antiqua illa, frequente civibus, foederis olim Han-

ſeatici, oportuno ad mercaturam ſitu, & commerciis celebri. Munitiſſima item iam diu, capta hinc ſaepius, multisque ad noſtrum aevum uſque fatis agitata. Hoc duplici vero nomine inter reliqua commendabili: quod, emendatioribus mature admodum ſacris addicta, profugis quondam ab Hiſpanica vexatione Belgis quam plurimis, non minus quam noſtra Embda mater, praebuit hoſpitium; quodque Virorum quorumdam, ſive eruditione, ſive religionis ſtudio celebrium ferax fuit. quos inter, quibus a patria hac ſua cognomen, Veſaliorum de genere poſt maiores ſuos arte Medica celebres, *Andreas* in primis *Veſalius*, Anatomicorum princeps; & ſaeculo quinto decimo, inter plures iſtius aevi Antichriſtianae hae-

reſeos

reſeos adverſarios, *Ioannes de Veſalia*, illuſtris purioris Chriſtianae doctrinae teſtis, ipſis inde Pontificiis, praecurſoris Lutheranorum, ignominioſo illis quidem, nobis vero honorifico, ornatus titulo. Mitto alios.

Hac, quam dixi, in urbe, a medio ſuperiori ſaeculo, vivebat Avus Noſtri IOANNES ARNTZENIVS, inter Scholarum trivialium moderatores, Prorectoris munere. Origine, ut creditur, Daventrienſis. Apud quos notum *Arentſeniorum* nomen per omne ſaeculum ſuperius, ut in Iuratis civitatis Tribunis, ſic in Senatoribus ac Iudicibus; apud Dumbarum, in adcurata Daventriae deſcriptione.

Huic IOANNI, ex Coniuge CATHARINA WILMERS, Conſulis Veſalienſis filia, natus e-

rat, anno ſaeculi quinto & ſexageſimo, HENRICVS ARNTZENIVS. Qui ſtudiis ſacris Theologicis adoleſcente aetate ſua deditus, partim Duisburgi, partim Groningae, annis dicti ſaeculi quinto & ſexto ſupra octogeſimum, Disputationes publicas, Praeſidibus, illic quidem Henrico Hulſio, hic Ioanne Braunio, defendiſſe legitur. Candidatorum vero ſacri Ordinis adſcriptus albo, antequam eccleſiam obtineret, in quam comparatas ſibi dotes effunderet, mortuo brevi poſt aeſtumatiſſimo Patri, offerentibus ſponte ac liberaliter, quibus rei ſcholaſticae Veſalienſium cura erat, in ſpartam ab illo relictam ſucceſſit. Quae deinceps ab anno XCVII. facta honoratior, ipſo Rectoris titulo ac officio. Hic NOSTRO Pater contigit.

Qui

Qui qualem se in munere suo praebuerit, quamque dextre ac fideliter in eo versatus, si non aliis constare nunc possit documentis, vel ex hoc colligi evidenter queat, quod deinceps, & Arnhemienses, & Vltraiectini, vindicare eum sibi, ac praeficere Gymnasiis suis non dubitarunt Quorum postremo dum praeerat, memini ipsum cognovisse; & plus semel interfuisse auditorem, quum Adolescentes, curae suae atque institutioni commissos, oratores quotannis publice produceret. Cetera, Vir fuit, quem a singulari animi candore morumque facilitate, eoque nomine coniunctissimum sibi Collegam, alibi gratus laudat, quem successorem in Gymnasio illo habuit, clarissimus Academiae Traiectinae Historiarum & Eloquen-

tiae nunc Profeſſor Ioannes Fredericus Reitzius.

Matrimonio is, poſt aliquot iam Veſaliae exactos annos, ſecundis avibus, ſibi iunxit CHRISTINAM RAVWERS, *Ioannis*, Eccleſiaſtae primum Hermelenſis, dein Rhenenſis in ditione Vltraiectina, & *Mechtildae van Rhyn*, ex nota apud Traiectinos domo, filiam. Origine per Patrem ſuum e celebri metropoli Comitatus Sutphanici. In qua Avum habuit *Ioannem*, Licentiatum Iuris, cauſſarum patronum non ignobilem. Cuius de prole *Alida Rauwers*, celebri illic per ſcripta ſua Philologo, cumque Profeſſorio honoris titulo Eccleſiaſtae, *Ioanni Lomeiero* nupta fuit. Proavum, eodem notum *Ioannis* nomine; negotiatorem lignarium praecipuum, felicem, lautaque in re. Ma-

Matrona haec, prudens & egregia femina, casta, proba, domiseda, ut curandae rei familiari operosae satis provida maxime dexteritate praeerat; sic fecunda mater decem Marito suo liberos edidit. Sed quorum, potioris quidem sexus duo, alterius quatuor, infantili aut puerili aetate occubuerunt; Filii vero quatuor superstites exstitere. praeter, nimirum, IOANNEM nostrum, OTTO, ARNOLDVS & GVLIELMVS. Quorum *ille* tractatis feliciter Vltraiecti & Leidae studiis litterariis ac Iuridicis, anno Parenti suo emortuali, qui saeculi octavus & vicesimus erat, Doctorali ornatus laurea, mox, laudato modo cl. Reitzio, qui Patri Arntzenio sufficiebatur, successor factus in Prorectorio munere. Novennio post evocatus ad ipsam Re-

cturam apud Goudanos. Interiecto quadriennio, a Delftanis, in locum Io. Caſp. Schroderi, cui Pater Arntzenius Traiecti olim ſucceſſerat. Anno denique quinto & quadrageſimo, ab Amſtelaedamenſibus, honorifica admodum conditione & ſtipendio annuo ordinario inſigniter aucto. Quam ſpartam hodieque multa cum laude ornare pergit. Editis porro ſcriptis, cum Orationibus ſuis tribus inauguralibus, tum in primis egregiis ad Catonis Diſticha, iterato iam & multo quam prius auctioribus editis Notis, publico dudum commendatus ac celebris. *Iſte*, ARNOLDVS, S. Theologiae conſecratus; ſed exacto in Academia Traiectina ſeptennio, pulcro item ſpecimine de aureo Frontali Sacerdotis ſummi Iudaeorum publica Diſputatione

ne edito laudem nactus, ſacri iam Ordinis Candidatus, proximeque obtinendae amoeniſſimo prope Traiectum loco eccleſiae ſpe aut exſpectatione, ſubito paucarum dierum morbo vivis ereptus; magnum ſui, quibus notus erat, deſiderium relinquens. Qua propter non tantum a Fratre, inſerto Notis in Aurelium Victorem epicedio ornatus; ſed etiam vel maxime ab amico intimo Daniele Vinckio, Medicinae doctore, Praefatione, quam Amoenitatibus ſuis Medicis praefixit, a ſingulari non magis eruditione, quam animi pia integritate, probitate & candore, laudatus eſt. *Hic* denique, GVILIELMVS, Philoſophiae & Medicinae, publicis quoque eruditionis utriusque editis documentis, creatus Traiecti Doctor, artem

ſuam dehinc exercuit Arnhemii; magna cum exiſtimatione, quam edito Libello de difficili morbo ac infirmitate reverendi illic tunc Eccleſiaſtae, adverſus alium eiusdem urbis Medicum, ſtabilivit. Inter haec vero invitatus Noviomagum, non ita diu poſt, & ipſe in flore aetatis vita exceſſit; exeunte anno ſaeculi quinto & triceſimo.

En egregiam, Noſtrum ſi addas, tetrada bene compoſitam fratrum eruditorum. Felices Parentes, quorum optimo vitae exemplo & curatae educationi fructus tam eximius contigit, quo laetari ipſis licuit in adoleſcentibus ſuis, publico etiam, (ſed temperante homuncionum ampliores ſpes divino fato) magnam ſaltem partem, in viris. En, optimi Iuvenes, quid mens, quid indoles valeat rite nutrita.

Cre-

Creentur fortibus bonisque iis ut plurimum haud diſſimiles; doctrina tamen praecipue erit rectique cultus, quae optimorum pectorum vim inſitam roborant, &, coeleſtis in primis favoris accedente aura, modo ne vobismet ipſi velitis deeſſe, ad omne pulcrum probumque conformabunt.

Sed, ne exiſtimetis, Auditores, aliunde petendam mihi eſſe commendationem ARNTZENII noſtri; tempus eſt, ut longe aliud iudicare vos iubeam. Praedictis itaque huc uſque, quae omitti non debebant; pandamus nunc vela orationis noſtrae, ipſamque propius rem, de qua hic maxime agitur, ſpectemus.

Laudatis genitus Parentibus *lucem* primum *adſpexit* Noſter, Fratrum natu maximus, die XV. *Au-*

guſti, anno ſaeculi ſecundo. Veſaliae quidem, ut iam dixi; ſed anno mox ſequente translatus Arnhemium, quum moderamen illic Gymnaſii Pater capeſſeret; cui additum deinceps Profeſſoris Litterarum humaniorum munus.

Sollicita hic & probiſſima, per tenellam aetatem, Parentis utriusque recte munitus educatione; pro ingenio, quod in ipſo mature emicuit, hauſtis prius litteraturae puerilis elementis, ad *Scholas publicas* miſſus eſt, quibus Latinis iam Graecisque ſtudiis rite imbueretur. In quibus, cum Patris optimi, tum reliquorum, qui iis praeerant, quos inter eximium Litterarum elegantiorum decus, Henricum Cannegieterum, tunc Prorectorem, gratus maxime laudavit, inſtitutione uſus, inter commilitones eminuit.

Ipſis

Ipſis iſtis in tirociniis ſtudiorum, praeter reliqua, *genii* iam ſui *Poetici* dans ſpecimina; pro aetate illa non ſpernenda. Biniſque tandem habitis *Orationibus ſcholaſticis*, ſumma cum laude, & honorificis decoratus praemiis induſtriae, ad ſtadium academicum publice promotus.

Haec dum agebantur, en conſpicuam ſingularem prorſus Arntzenianae domui divini favoris providentiam; quam in rebus noſtris per omnem vitam ſedulo pioque animo notare officii noſtri eſt. Eodem illo tempore, quo altiora ſpectabant Noſtri ſtudia, quam ut Muſae Arnhemienſes aut patrii parietes iis videri poſſent ſufficere; Fratribus quoque tribus idem iam brevi deſideraturis; evocant honorifice Parentem Henricum, ineunte *anno* ſaeculi *viceſimo* Proceres Vltraiecti-

ni ad moderamen florentiſſimi Gymnaſii ſui, a primis olim conditoribus Hieronymiani dicti. Quam invitationem Vir optimus, etſi recte ſatis ſe habebant Arnhemii res eius, eo minus dubitavit ſequendam ſibi, quo magis laetus evidenter benignam hic divinam manum obſervabat, ſummumque commodum ac emolumentum, quod ſibi hinc & familiae ſuae naſcebatur. Potuiſſet (fateor) alio, atque a laribus ſuis remotas ad Academias, filios mittere, ut fecit deinceps, per aliquot ſaltem annos, in tribus illorum, dum Traiecti degebat; quanto vero, & commodius, & tutius, & iucundius, ipſisque Filiis utilius, verſari adſidue ſub oculis doctiſſimi Parentis ſui, Matrisque amantiſſimae ſub amplexu. Quanti mercarentur hanc fortunam parentes multi?

multi? Quanti Adoleſcentes, quot-quot ſaltem optimis imbuti moribus, academicum curriculum, non flexilis ad luxuriam aetatis profuſae licentiae ſibi ſeceſſum temere iudicant, ſed unice, ut fas eſt, bonae mentis veluti mercatum, quo ſibi pro omni in poſterum vitae ſuae ſtadio proſpiciant? Expertus ego loquor, Auditores; cui, cum Fratre meo, per Parentem noſtrum, non minus ſingulari divina providentia, ex remotiſſima Friſiorum Orientalium metropoli, Traiectum (bono quidem, ut deinceps adparuit, non exiguo publico) translatum, ſimilis illic fortuna contigit. Et agnoſcite vos, optimi Iuvenes Franequerano nati oppido, paria his bona veſtra; cum iis, quae praeter ea, maximo vobis induſtriae incitamento, publicus

favor & munificentia plerisque addit.

Traiectinam itaque ad *Academiam* ut venit Noſter, id quod iam agere, excuſſo pulvere ſcholaſtico, Arnhemii per annum & ultra coeperat, Litteris humanioribus porro magis magisque excolendis ſe dedidit. recte iudicans, quod iam inde a puero paternis ex praeceptis acceperat, ad quamcumque tandem ſublimiorem ſcientiam adplicaturus ſe foret, hiſce adiumentis ac ornamentis, modo vellet eſſe aliquis & ſapere ſupra vulgum, carere ſe nullo modo poſſe. Qua de cauſſa, non velut canis de Nilo, quod aiunt, leviter deguſtatis iis, quod plerisque in more eſt, ſitim potuit ſuam reſtinguere; e contrario mira captus horum dulcitudine, magis etiam quam pro adminiculis

niculis ad altiora opus fuerat, totum ſe in haſce Litteras immerſit. Doctoribus atque auctoribus ad haec uſus, quibus Traiectum tunc excellebat, *Carolo Andrea Dukero* & *Arnoldo Drakenborchio*. qui quales quantique fuerint, ineptus ſim, qui multis docere vellem.

Horum ductu, ut *Graecis* in litteris, quas Dukerus maxime tractabat, ſic *Latinis*, quas uterque, tum Scriptoribus antiquis explicandis, tum Antiquitatibus Romanis, quibus ipſe Graecas, publice illic non expoſitas, privato ſtudio addebat, tum Hiſtoriae denique Civili univerſali, ſtrenuiſſimam operam impendit.

Cognitus mihi tunc fuit; magis etiam Fratri meo, iiſdem in ſtudiis commilitoni, quid? omni frequentiſſimae illo tempore Academiae

ſpectatus; alacritatis inſignis, ingenii amoenioris, humanitatis elegantis, & induſtriae per omnia indefeſſae. Meminiſſe diu potuerunt Fratres, quanta cum ipſis contentione animi domeſticis fuerit ſtudiis intentus. a prima luce, imo, ipſa urente inclementius bruma, vel tribus minimum horis ante, ut narrare ſolebat, capeſſens illa quotidie. Audite haec vos, alacerrimi Iuvenes noſtri, quos late ſonans aes Franequeranum, ſingulis per hiemem matutinis, eadem illa hora, non minus, quam opifices quosdam, valde utiliter (mihi credite) ad resveſtras excitare queat. Meminerunt Commilitones alii, quibuscum arctior Noſtro familiaritas, exercitiorum utiliſſimorum; quibus, ſtatis diebus hebdomadum, non modo audita a Docto-

ribus

ribus ſuis repetebant, unde natum ipſi non inelegans Hiſtoriae univerſalis opus, ex Dukeri, Drakenborchii, Burmanni & Perizonii collatis ad eam ſcholis communem ad uſum congeſtum, quod ad ſaeculum uſque aerae noſtrae X. aut XI. deductum, hodieque ſupereſt; ſed, creſcente paullatim profectu, ſua quoque de Litteris elegantioribus meditata, commiſſa ſcripto, mutuae diſſertationi proponebant. Longe utiliſſimis ſane exercitiis; quae, ut olim in Academia noſtra laudata in Iuvenibus aliquot egregiae ſpei, Viris deinceps non vulgarium meritorum, de quibus in *Athenis Friſiacis*, *Elogiis Sixti Arcerii* & *Adr. Metii* loqui memini; ſic hic quoque, non carentia fructu ſuo, Scripta quaedam, cum ipſius Arntzenii noſtri, tum dein-

ceps aliorum, peperiſſe publico creduntur. De laudato ſaltem ſupra doctiſſimi Vinckii libro, ex Praefatione eius non obſcure conſtat.

Nec manſerunt ſane multis quotidie incrementis augeſcentis eruditionis Noſtri ſpecimina intra privatos parietes. Praeter enim quae dabat quotidie apud Praeceptores ſuos, aut in velitationibus quoque diſputationum academicarum, praeterque *Carmina* non pauca ditiſſimae venae, quae ſcripta amicis in lucem publicam prodibant; edidit, ipſo ſtudiorum apud Traiectinos in curſu, *Diſſertationum* bigam, *de Comarum colore ac tinctura*, & *de Civitate Romana Pauli Apoſtoli.* Multae eruditionis ac elegantiae Opuſculum; ex omnigena, non modo Latina Graeca-

que,

que, ſed aliquam partem ex ipſa quoque Hebraica & Orientali antiquitate.

Cuius poſtremae ne hoſpitem prorſus fuiſſe Noſtrum forſitan credideris; operam quoque dedit non ſegniter clariſſimo *Davidi Millio*, in Litteris *Hebraicis*, nec minus *Antiquitatibus* priſtini populi Dei. quarum ſtudia, languidiora alibi, Vltraiecti, ab aevo ſummi Viri Hadriani Relandi noſtri, tunc maxime florebant. Vtilia nimirum haec ſibi, cum ad ipſa ſtudia humaniora, tum ad *Iurisprudentiae* quoque, non parum eſſe poſſe, intelligebat.

Haec enim de ſcientiis ſublimioribus erat, cui conſecrare ſe praecipue conſtituerat. Adgreſſus itaque illa ſacra, magnos ſibi rurſus nactus eſt duces, *Cornelium Eckium*

um & Everhardum Ottonem,. Iurisconſultos longe celeberrimos. Quorum uterque, quae ad Ius Civile Iuſtinianeum pertinent, hic, quae praeterea ad praecepta Iuris Naturae, Gentium, & Publici, mirabili alacritate & eloquentiae gratia tradebat. Ac, ne leviuscule dumtaxat, ut ſaepe iis accidit, qui ab amore ſcientiae dominae ad ancillantes ei maximo ardore colendas delabuntur, ac veluti aliud agendo tractaſſe Iuridica exiſtimes; ipſis exercitationibus diſputandi, quas multi nimium horrent, ſumme utilibus licet, atque ad ingenii ac induſtriae reddendam rationem maxime comparatis; ſtrenuus inter actores adfuit; Theſiumque Iuridicarum editarum a cl. Eckio plures Decades, praeſide Viro eximio, inter commilitones defendit. Ipſe

quoque Diſſertationem philologico-Iuridicam *de Poenis* paratam habuit, viſam lectamque mihi his diebus, quam publicae diſputationi ſubiiceret. Quod factum cur non fuerit, ſive tardiore iam ad publica iſtiusmodi Eckio, ſive aliis de cauſſis, latere me fateor.

Quanti quanti vero erant, quibus hic utebatur, quorumque amicitia ac favore prorſus ſingulari fruebatur, optimi Magiſtri; non potuit tamen maiora ſemper ſpirans animus una Academia contentus eſſe. Adeundi & alii erant Viri non minus illuſtres, quorum de oraculis augeret indies magis magisque recte iam congeſtam copiam ſuam. Ita ſolent egregii Iuvenes, quorumque de luto meliori ficta praecordia. Ipſi id Praeceptores ingenui his non immerito

commendant. Idemque recte intelligunt optimi Maecenates Academiae noſtrae, quos hic honoris cauſſa nomino; praeſtantioris genii Alumnos ſuos, poſtquam apud nos iuſta iecerunt fundamenta doctrinae, ad alias quoque Academias inviſendas munifice ablegantes.

Toto itaque quinquennio apud Traiectinos exacto, ſummo ſuo cum fructu; *Leidenſes* tandem Muſas ARNTZENIVS noſter adiit. Quibus ut eximium prorſus in Iurisprudentia ſuique vere ſaporis *Antonium* invenit *Schultingium*; ſic in Humanioribus ſuis, quae iam caput fere ſtudiorum coeperat conſtituere, magnum *Burmannum*, & doctiſſimum Collegam eius *Sigebertum Havercampium*. Quorum non tantum inſtitutione publica, ſed etiam, ut ante Traiecti-

iectinorum, prolixa humanitate atque amicitia uti contigit. Illius, quando locuturus de ſtudiis communibus ad eum accedebat, ſaepius in muſaeum ſplendidamque ad bibliothecam admiſſus. huius, cui, dum Traiecti adhuc erat, iam notus, collationem trium codicum pro editione Lucretii procuraverat, in Nummophylacium inſtructiſſimum; quo ab hac item parte penum eruditionis ſuae locupletaret. Iſtis quoque priſtini aevi monumentis, & praecipuis Hiſtoriae atque Antiquitatum luminibus, delectatus adeo, ut ipſe ab eo tempore non contemnendum ſibi theſaurum aliquem *Nummorum veterum*, quemadmodum & alius generis ſupellectilis antiquariae, comparaverit.

Dici non poteſt, quantum ex

Leidenſi hoc curriculo voluptatis ceperit & commodi. Praeter enim profectus ex veterum Scriptorum adſidua lectione, & congeſta in cumulum, quae ad interpretationem eorum poſſent eſſe uſui; data ipſi per Burmannum aliosque copia, cum aliunde, tum ex Bibliotheca publica, ut iam ante ex Traiectina, inſtituenda collatione codicum Scriptorum quam plurimorum, & enotandis ſedulo, quae Viri magni, Scaliger, Voſſius, Perizonius, aliique iis adleverant, non intermiſſa induſtria occupatus fuit. Quorum multa cum Viris doctis, qui edendos ſuos ad Auctores indigebant, gratique eorum meminerunt, liberaliter communicavit.

Sed non ultra annum frui licuit ipſi hac fortuna, quin mox alia, non

non ſuo quidem tunc voto, qui diutius illic lubentiſſime manſiſſet, ſed iudicio publico, naſceretur. Per exiſtimationem enim, quam pepererat ſibi apud omnes, quibus notus erat, & commendante in primis celeberrimo Burmanno, idoneo illo & ſevero ſpectatore ingeniorum, factum eſt, ut *Noviomagenſes*, deſtituti politiſſimo Franciſco Oudendorpio, translato tunc ad Harlemenſes, Noſtrum *Gymnaſio ſuo ſcholaſtico* praeficiendum evocarent. Quod quam honorificum fuerit annorum vix dum quatuor & viginti Iuveni, neminem, qui dignitatem & gravitatem, cum Litteratura minime vulgari, iſti muneri congruam recte intelligit, fugere facile poteſt.

Gratus itaque amplexus conditionem, dum parat ſe ſpartae pri-

mo quoque tempore, ut fas erat, adeundae, ex Iurisprudentia ſua non immerito debitos ſibi honores prius capiendos cenſuit. Rediens itaque Traiectum, mox illos cum laude obtinuit, *calendis Iuliis anni* ſaeculi, qui tunc erat *ſextus & viceſimus*. Edita Diſputatione, non, quam ſibi dudum animo deſtinaverat nobilioris argumenti, *de Particula Negativa Legibus inſerta vel neglecta*, de quo multa collecta obſervata habebat in liturariis ſuis; ſed, feſtinanda tunc opera, pauciſſimorum dierum ſpatio, *de Nuptiis inter Fratrem & Sororem.*

Quibus actis, mox ſequentibus *Idibus Auguſti*, demandatum ſibi munus adgreſſus eſt; Oratione habita & edita typis, elegante, rebusque & perſonae ſuae adcommodata maxime, *de delectu ſcriptorum*,

rum, qui Iuventuti in Scholis praelegendi ſunt, eorumque expoſitione.

Non eſt cur dicam, qua fide, quave peritia ac prudenti dexteritate, quae in volvendo iſthoc ſaxo praecipue requiritur, officio ſuo fuerit functus. Oſtenderunt enim brevi, quam de eo valide perſuaſi eſſent, non modo Proceres Vrbis, ſed ipſi Illuſtriſſimi Ordines tetrarchiae Noviomagenſis; intra elapſum annum unum cum dimidio, *Profeſſionem* ei cum decenti ſtipendio conferentes *Hiſtoriarum & Eloquentiae.* Id quod tanto fuit ipſi honorificentius, quo iam diutius Gymnaſium illuſtre, ſic ſatis florens quondam, ſenuerat, omnique Profeſſore vacuum delituerat.

Inauguratus muneri huic eſt ad v. *Id. Martii* anni MDCCXXIIX. dicta Oratione politiſſima, non minus

quam nupera Rectoralis, imo magis etiam in profeſſuro iam eloquentiam, mox edita, *de Cauſſis corruptae Eloquentiae.*

Hic vero explicandi egregias dotes ſuas ſpectato illo dudum vigore ſuo, campum nanciſcebatur neceſſario ampliorem. Laetiſſimus merito. Cui quippe novum hoc beneficium, optima licet iam conditione conſtitutis rebus ſuis, praecipua ac amoena in Vrbe, amoeniore item vicinia, inter amicorum conſortia, aliave avocamenta, non fomes deſidiae, ut facile ignavis eſſe ſolet, ſed incitamentum potius praeclarum ad continuandam induſtriam. Antiquum itaque hic Noſter obtinebat aſſidue; neque quidquam de laboribus catenatis remittebat. E contrario, ab ipſo hoc tempore id egit

git quam maxime, in utroque munere ſuo, quo per orbem litteratum non vulgari modo coepit inclareſcere.

Docere perrexit Adoleſcentes in ludo Triviali, ad iſtum modum, quem in Oratione illic inaugurali praeformaverat.

Docuit in primis tirocinia iſta egreſſos, ad academicum morem, & Hiſtoriae Mundi capita praecipua; & Romanorum ſacra antiqua, ſtatumque civilem; & Auctores Latinos ad Linguae interiora ac nativam indolem adcurate intelligere. Bis per quamque hebdomadem in Auditorio publico. Domi item, ſtatis horis. Atque hanc laudem habuiſſe dicitur a Doctoribus quondam ſuis Traiecti & Leidae, quod vix aliunde rectius inſtructos viderent ſibi Iuvenes ve-

nire, quam Noviomago Noſtri ex diſciplina.

Grati recordantur eius Viri eximii, variis in locis, publicis iam muneribus ac dignitatibus inſignes. Quorum de numero duos memorabo tantum, qui familiariori Noſtri amicitia & privatis ad tractanda optima ſtudia quotidie uſi praeceptis, inter reliquos excellunt. Ampliſſimum Cornelium Valerium Vonckium, Iuriſconſultum; ut praecipuis apud cives ſuos Noviomagenſes Reipublicae honoribus dudum clarum, ſic variis Societatibus eruditorum exteris adſcriptum; cuius praecocis admodum eruditionis in Criticis, in Poeſi, aliisque, nota ſpecimina publica. & Iacobum de Rhoer, cuius, praeter editas ante Orationes, & nuper ingenii viſum publi-

co documentum, *Feriarum* ſive *Miſcellaneorum* libri duo; Hiſtoriarum & Eloquentiae Profeſſorem in Gymnaſio Daventrienſi.

Atque haec quidem hactenus intra patriae Belgicae manſere fines. Latius vero dilata Noſtri fama per *Libros* egregios, quibus dehinc rempublicam litterariam beavit: non illos levioris amplius operae aut molis; ſed amplos, & praecipui in re Litteraria momenti, ſibique immenſi laboris. Quibus ut pleniores, quam huc uſque factum, ſcripturarum variantium collationes, & eruditorum, quae exſtabant, (ineditas item aliquas) Adnotationes, ſic non minus ſuas magno numero, ac veluti pleno horreo diffuſiſſimae lectionis ac obſervationis promtas, adiunxit.

Primus horum eſt, qui *Sexti*

Aurelii Victoris, aut cuiuscumque tandem nomen eius praeferentis, ad Hiſtoriam Romanam ſcripta continet. editus ineunte anno ſaeculi tertio & triceſimo. Alter, praeclarus ille *Panegyricus Plinii ſecundi*, praeclaro Imperatori Traiano Auguſto dictus. luci datus quinquennio poſt. Vterque eruditorum undequaque nactus adplauſum. quem nec illi, qui aliqua, ut fit, reprehendenda in Notis Noſtri reperiſſe ſibi videbantur, denegarunt. Nec ipſe celeberrimus inter Germanos Chriſtianus Gottliebius Schwarzius, Philologus Altorfinus. tametſi aliqua nata ipſi videri potuerit ad aemulationem anſa. Quum enim eodem forte tempore contigiſſet Noſtro, eodem in ſtadio Pliniano cum ipſo decurrere, hoc tardio-

rem ſe in eo, imo & aliquando abiecturum ſe propoſitum, oſtendente; Noſter expedita alacritate ſua eum praevertit. Nec tamen id Vir clariſſimus ullatenus aegre tuliſſe viſus fuit; e contrario, quum octennio poſt ſuum tandem Plinium proferret, laudibus non vulgaribus, & Arntzenium noſtrum, & editionem eius proſecutus. Ea quoque complexus Praefatione ſua, quae popularibus eius, cenſoribus etiam alias interdum habitis ſatis cupidis, pro Noſtro, in aliquo genere reprehenſionis eorum, iuſtae reſponſionis loco eſſe poſſent.

En itaque, Aud., ARNTZENIVM noſtrum, ut praecipuo in flore aetatis & virium animi corporisque, ſic alis iam famae ſubnixum, per ora Virûm volitan-

tem, omniumque in ſe oculos convertentem. avida omnium ſpe votoque, ut quod in Plinio ſuo promiſerat, atque animo agitaverat iam diu ante, reliquos quoque Panegyricos Latinos veteres ſimili habitu atque ornatu excultos in publicam lucem protraheret. Nec deſtitit in eo exercere induſtriam ſuam. id quod, dum apud nos erat, non obſcure, ut mox dicam, adhuc oſtendit.

Quis vero eſt, cui mirum accidat, hunc talem Virum deſiderari aliquando potuiſſe aliis, atque illuſtriore pro cathedra, quam qua huc uſque utebatur? Et quis non miretur potius, factum id non fuiſſe alicubi, modo fuiſſet occaſio, diu ante, quam Illuſtres Maecenates noſtri de ipſo nobis adliciendo cogitarunt? Cogitarunt vero, quum,

trans-

translato clariſſimo Petro Burmanno ad illuſtre Gymnaſium Amſtelaedamenſe, idoneus maxime; &, quantum fieri tunc poterat, non ſola ſpe, quae ſaepe turpiter fallit, ſed meritis publicis in ſuo eruditionis genere commendabilis, ſucceſſor ſufficiendus erat. Noverant, capto iam antea experimento, Viros ſummos, Henricum Cannegieterum, & vere deſideratiſſimum noſtrum quondam Petrum Weſſelingium, haberi non poſſe. Proximus, ad quem videretur eundum, modo & hic obtineri de lauta ſatis ſtatione ſua poſſet, publico tunc iudicio, erat noſter Arntzenius. Nec dubitabant ullo modo Ser. Princeps optimique Proceres; tot habentes in manibus rerum teſtimonia, quot facile in ſimili negotio deſiderari

poterant. Fuerant forte etiam de Friſiis noſtris Viri praecipui atque integerrimi, proxime praecedente anno, Noviomagi; non ſemel iterumve, ſed ſaepius, per aliquot dies, in variis hominum circulis & amicis conſortiis cum ipſo verſati; imo fuerant & ipſo anno, quo deſignatus nobis eſt, paucis modo menſibus ante; qui recte de eo, ut iudicare aliter non poterant, teſtabantur. Quibus nunc mihi accedit teſtimonium Viri honeſtiſſimi, qui ipſis hiemem, de qua mox, anni 1740. ſecutis horis aeſtivis ad ipſum per dies aliquot inviſens, non alium ab eo, quem antea habuerat cognitum priſtinoque vigore ſuo, inveniſſe, probe meminit.

Decreta itaque ipſi ab Ill. & Pot. Proceribus *Profeſſio Eloquentiae & Hiſtoriarum*, *d.* XXIIX. *Septembr.* anni

anni MDCCXLII. Additusque brevi poſt a *Poeſi* titulus, cum annui augmento. Quod poſtremum fluctuanti & dubio, praeſertim inter ſolicitationes amicorum, quos Noviomagi habebat intimos, incitamento tandem fuit, ut Noſtratibus manus daret.

Venit autem, intercedente huc uſque hieme detentus, Franequeram, *ſequentis anni* menſe *Martio*. Sed adfecta valetudine; perque moleſtias difficilis illo anni tempore itineris non meliore. Neque ea tunc quidem animi alacritate ac vigore, qui ipſi veluti proprius olim, nec adeo adhuc longo tempore ante, ut modo dixi, adeſſe viſus fuerat. Percrebuerat quidem proxime ante adventum eius aliquis de hoc rumor; ſed qui fidem initio vix inveniebat. Vnde enim

tunc id adeo cito? Niſi anceps deliberatio animi Noviomagenſibus ſuis adfixi, & moleſtae interpellationes amicorum ſervare eum ſibi cupientium, potuerint forte optimum & benignae ac manſuetioris indolis Virum quatere vehementius, ſuisque momentis huc illuc impellere. Ignorabamus hic nos, & ignorabant (quis dubitet?) Friſii omnes, quorum intererat, a quo, olim fere ante triennium, diriſſima illa anni quadrageſimi bruma, triſti & moleſta occaſione, animadverſo primum levioris paraplexiae inſultu hoc incommodum, poſtquam diu latuerat, recrudeſcens, tamquam fonte ſuo, derivandum deinceps iudicaretur. Nec videri, dicas, aut ipſum, aut amicos Noviomagenſes & propinquos, intercedentibus, quae ante dixi, aper-

te halcyoniis, ad haec adeo attendiſſe; aut eorum credidiſſe in futura illa loci & muneris mutatione habendam fore rationem. Iacta vero inter haec dum erat alea, & poſtquam ſe nobis addixerat; quid remanere potuit, praeter benignam, nec adeo vanam, ut videri poterat, ſpem, ſimilis ei, qua tempore ſuperiori uſus fuerat, per divinum favorem, redituraе fortunae?

Ceterum, poſt non ita multo, quam huc acceſſerat, ut factus paullo firmior, quamvis non is fuerit, quem voluiſſemus, quemque futurum merito exſpectaveramus; id quod diſſimulari non potuit, nec diſſimulatum nobis umquam fuit; tantum tamen abeſt, inutilis ut fuerit Academiae, quod nimium cupide aliquos muſſaſſe memini,

quidam etiam lapideo corde, quosque non miſeret neminis, ut cum Ennio loquar, apertius forte calumniati ſunt; ut potius per illa, quae egit adſidue, officio ſuo, (pro virili ſane & infirmiore ſtatu ſuo) abunde ſatisfecerit. perque ea, quae calamo excipiebant, auditores, plerumque ſatis iuſto numero, fructum ſibi ex ipſo natum egregium agnoſcant.

Binis quotidianis *ſcholis domeſticis*, omni tempore, nec minus quam antea, ab ipſo illo, quo a feriis aeſtivis anni MDCCXLV. impeditiorem ſibi factum linguae uſum ſenſit, qui in cauſſa fuiſſe videtur, cur publica Oratione inauguratus non fuerit, eos, qui ſibi ſe adplicabant, docere adſidue inſtituit. Nec ulla pars fuit muneris ſui, quam non ſcholis iſtis impleverit.

Vere dicam, quae dudum ex idemtidem mihi relatis ſcio; *Univerſalem Hiſtoriam* tractaſſe fere quotannis. addita & ſemel *Hiſtoriae patriae* doctrina. *Antiquitates Romanas*, aliquoties. *Auctores Latinos* expoſuiſſe, non unum alterumve, ſed plures; ſervata quotannis iucunda ac utili varietate. Sunt illi: *Florus*; a quo, primo anno ſuo mox, a die XXIX. Aprilis initium cepit laborum ſuorum. *Iuſtinus* porro, *Suetonius*, *Ovidius*, *Horatius*, *Terentius*. Quos, ſi vixiſſet, anno proximo Geographus antiquus *Pomponius Mela* excepturus fuerat. Adde *exercitia Oratoria*, quibus aliquot ante annos auditores ſuos, ſive ſoluta, ſive numeris devincta oratione, pulcra dare iuſſit, in amplo conclavi aedium ſuarum, ſpecimina

ſtili & eloquentiae. favente multo plerumque Virorum honeſtiſſimorum & academicorum civium concurſu. Privatis item exercitiis *ſtudii Poetici*, in quo ipſe excelluit, multis Carminibus diverſis temporibus editis, cuiusque modicum uſum Iuvenibus maxime convenire merito cenſebat, iis non defuit. Nec facile umquam vel per horulam, ut ut interdum infirmior aut febriculoſus, lectiones ſuas intermiſit; non ſibi nimium parcens, modo auditoribus ſuis prodeſſe poſſet.

Quid ab eo plus, ſi fuiſſet multo firmior, deſiderari in hiſce quidem potuerit, fateor, me non videre.

Firmiori vero ſi licuiſſet eſſe, nullo modo contentus iſtis, (ſat ſcio) ſatisfacere non neglexiſſet e-

rudi-

ruditorum, quae magno ipſi honori erant, ingeminatis toties deſideriis; ſive dandis ſuis Panegyricis reliquis, ſive aliis rebus egregiis de congeſta uberrima penu ſua. Quod quando non praeſtitit; nulla ſupina ſegnitie praepeditus, nec ulla intercedente humana culpa aut vitio, neque iſto ſane, ſimilive, quantum umquam apud nos amici familiariter cum ipſo verſati, adparuiſſe ſibi, ſerio ſemper teſtati ſunt, quod vivere cupientibus ſua carmina Poetis olim habitum haud inſolens; quis eſt tam ferreus, ut non facile condonaverit infirmitatibus valetudinis, immiſſis divinitus? Et quis non laudaverit potius conſpicuam promtam voluntatem in his, quae praeſtitit? Vltra etiam, quam exſpectari potuerat. Ne enim vota ac ſpem eruditorum

rum penitus deſtitueret, hoc; inter tot mala & incommoda ſua, dedit ſedulo operam, ut ſequentium Panegyricorum ſuorum unum ſaltem adhuc cum orbe litterato communicaret, *Latinum Pacatum Drepanium*; eundem ad modum, quo Plinius, cum aliorum, tum ſuis, egregiis Notis illuſtratum. Factum hoc, elapſo iam fere abhinc ſeptennio. Nec animus defuiſſet, pergendo in reliquis, largiente vires Deo, praeſtandi plura; ſi, quod hic in libri limine repetiit, voto ſuo Viri docti, ſive ſubminiſtrandis Codicibus antiquis, qui maxime deſiderantur, ſive aliis ſuae quoque aut aliorum induſtriae ſubſidiis, reſpondere potuiſſent. Superſunt enim multa, ut intelligo, in ſcriniis Viri optimi, inter plurimas

alias

alias & alius generis de variis rebus litterariis, etiam Iuridicis, obſervationes, huc facientia, diverſis temporibus congeſta; quae doctiſſimus Filius forte, deſideratis neceſſario copiis adiutus, publico non invidebit.

Sunt praeterea, priſtinae monumenta induſtriae, collationes non paucae Codicum, Virgilii, Silii Italici, Martiani Capellae, orationum quarumdam Ciceronis, declamationum Quintiliani, Suetonii, variorum ſcriptorum Tertulliani, aliaeque plures, quae uſui aliquando eruditis eſſe queant. quibuscum dudum, quas habebat ad Lucretium, ut ſupra dixi; ad Epiſtolas Plinii, ad tragoedias Senecae, ad Sulpitium Severum, quem edere, dum vivebat, in animo habuit noſtra in vicinia Tho-

mas Wopkenſius, ad alios denique ſcriptores, liberaliter communicaverat. Summo enim ferebatur ſemper, bonas litteras, & quocumque modo de iis bene mereri cupientes, etiam ingratos forte interdum, adiuvandi ſtudio.

Habetis, Auditores, quae mihi, partim ex relatis, partim ex aliunde ſatis cognitis, de genere, ac natalibus, educatione, doctrina, meritis, fatisque ARNTZENII noſtri nunc erant dicenda.

Vxorem habuit, quam duxit Noviomagi, anno MDCCXXXIII. praeſtantiſſimam Virginem ALIDAM IOANNAM BVSSCHOFF; Venerandi Viri IOANNIS BVSSCHOFF, Eccleſiaſtae illic vigilantiſſimi, fideliſſimi, ad quinquageſimum hodie muneris illic ſui annum, poſt novennium iam prius

us in duobus Pagis Vltraiectinis exactum, viridi ſenecta adhuc ſuperſtitis, & SVSANNAE CATHARINAE DE LE BEEK paucos abhinc nunc annos mortuae, Filiam unicam. Praeclara utrimque ab origine, & purioris religionis ſtudio inſigni. Avo paterno quidem GERHARDO BVSSCHOFF, mercatore Vltraiectino; Proavo, nobili Matronae N. ABBEMAE ex Friſia noſtra matrimonii foedere iuncto; docentibus inſignibus in templo Maarſeniano ad Vechtam. Cuius Fratres, BERNARDVS & FRANCISCVS BVSSCHOFF. *Ille* Eccleſiaſtes, prius commodato, dein ab *an.* 1619. ad 1639. ordinario munere, apud Vltraiectinos, atque interea etiam, & Dordracenſibus, & Roterodamenſibus, & Silvaducen-

cenſibus, pro ratione illorum temporum, aliquando inſerviens. Idem, cuius notum pium carmen Belgicum de certitudine ſalutis electorum Dei; inclementiſſimis cavillis vexatum toties a Remonſtrantibus, quibus amicus non erat. cuiusque filius *Hermannus* ab *an.* 1655. Eccleſiaſtes Batavienſis apud Indos orientales, libelli de curanda Podagra per Moxam auctor. *Hic* vero, FRANCISCVS BVSSCHOFF, uti & Filius eius HERMANNVS, Pagorum ditionis Traiectinae Paſtores. De Propinquis noti mihi quondam, Vltraiecti, Patruus noſtrae, HERMANNVS BVSSCHOFF; & amoeniſſimae mihi olim Loenae vicino amoeno in Pago, Amita eiusdem, SOPHIA, N. le Batteur, negotiatori quondam Amſte-

ſtelaedamenſi, nupta. Omnes religioſae pietatis non vulgaris homines. quorum mihi, in graviſſimo tunc ſacro munere Iuveni, utilis fuit amica conſuetudo.

Nec minus memorabiles Avus atque Avia materna. Quorum ille, IANVS DE LE BEEK, mercator Amſtelaedamenſis. puer admodum, contagio peſtiferae luis, qua uterque Parens miſere perierat, mirabili quadam divina providentia, dum impie inclementes vicini eundem parentum peſtiferum in lectum coniecerant, ereptus; nec minus dein Antichriſtianae peſti, ad quam propinquorum aliquis in Flandriam eum abduxerat, quaque iam infectus paullatim videbatur, piiſſima Amitae aut Materterae, quae infantem de fonte quondam ſacro levaverat,

indefeſſa cura meliora edoctus. denique puriori doctrinae firmiter adhaerens, Presbyterio Gallo-Belgico Amſtelaedamenſi, dum vivebat, aliquoties cum laude adſcriptus. Cuius Coniux, Noſtrae Avia, SARA LOERIA, Ioannis Conradi Loerii, Eccleſiaſtae Palatini, deinceps, religionis cauſſa inde profugi, Gravienſis, Amſtelaedamenſem ad eccleſiam Germanicam *an.* 1637. irrito licet ſucceſſu, invitati. Quem & Filius Ioannes Everhardus, optimae exiſtimationis Vir, dicto in munere apud Gravienſes excepit.

Ne moleſtus, quaeſo, vobis fuerit, Aud., hic excurſus. Cogitate potius ex dictis, quam felices ſint, quibus optima contingunt in maioribus, in parentibus, in propinquis, verae virtutis ac pietatis exempla.

empla. Relinquunt ea plerumque aculeos ſuos. Atque ut optima facta ſplendore ſuo ferire ſolent animos, atque ad ſimilia accendere; ſic ipſa probarum piarumque monelarum dicta, coniuncta praeſertim calidis ad ſummum omnis boni fontem precibus, neglectius licet interdum habita puerilibus ac iuvenilibus annis, ſuum repetunt atque ingeminant haud raro pondus, quando aurea ora, quibus olim proferebantur, clauſa dudum obticuerunt.

Sed redeo ad Noſtri Coniugem. Quae, fecundo matrimonio, pro quinquennio, quo laetum ſtetit, quinque liberorum Maritum ſuum Parentem fecit. Quorum duobus tenella aetate immaturo fato raptis, tres ad adultam pervenere, qui hodieque florentes ſuperſunt.

Primus, omnium natu maximus ab *anno* MDCCXXXIV. HENRICVS IOANNES ARNTZENIVS, qui hic triſtis adeſt; Iurisprudentiae Candidatus. Multis ingenii ſui ſpeciminibus, qua litterariis, in quibus plurima egregii genii Poetici, qua Iuridicis, notus publico; & prodituro brevi tandem, poſt nimias typorum moras, Sedulio patriae eruditionis maxime ſe probaturus genuinum aemulum. Quem Scholis iam Leovardienſibus praefectum Gymnaſiarcham, Parenti optimo in ultima ſcena vitae ſuae videre, multo gaudio ſuo, licuit. Filiae porro duae, lectiſſimae Virgines, SOPHIA SVSANNA, & IOANNA CHRISTINA. Quarum illa, ab aliquot iam annis Avo, ex quo dilectiſſimam Coniugem amiſerat; haec

Patri,

Patri, ad mortem uſque, adfuit. Matrem vidiſſe non meminit; orbata ea, quum vix dum octiduum vitae ſuae attigiſſet, anno ſaeculi octavo & triceſimo. Quod valde inopinum fatum ereptae ſibi in ipſo aetatis flore amantiſſimae Coniugis non potuit non ARNTZENIVM noſtrum, praeſertim cum tribus adeo tenellis liberis relictum Viduum, longe graviſſime adfligere. credatque forte quis, quamvis nihil de eo mihi ex relatis conſtet, per haerentem animo aegritudinem, ad deinceps (deinceps, inquam, non mox) ſequi coepta mala aliquo modo diſponere.

Sed hora labitur, ut video. Qua propter, ne patientia veſtra, Aud., nimium abuti velle videar, quae reſtant, paucis abſolvam.

Atque, ut de *genio* Noſtri *vi-*

taque morali haec modo ſtrictim addam:

Vir erat, quoad mihi umquam fuit cognitus, *ingenuus*, *candidus*, *integerrimus*. Exoſus fucum omnem, ſive ſtultiſſimae oſtentationis, ſive, quod peius ac nocentius, malitioſae vafritiei.

Vir *bonus* ac *benignae* indolis. Cui nil gratius, quam officiis ſuis prodeſſe, quibus poſſet.

Humaniſſimus erga omnes. Quod, ut in primis amici, quibus amicus erat verus, ſic auditores, a quibus amabatur, experti ſemper.

Gratus in eos, quibus ſe beneficio aut favore ſentiebat obſtrictum. Praecipue in Praeceptores quondam ſuos. Nec partium ſtudio alienus a quoquam, ne dum vilis genii concitatiore adfectu

inepte

inepte blandiens uni, protervus in alterum; quidquid tandem inter illos natum aliquando animorum dividiae.

In hominum *conſortiis*, quae non ſolebat reſpuere, ut numquam, quoad domum ſervare ultimo biennio coactus eſt, amicorum ad ipſum inviſentium, liberalis hilarisque; ſed ſalvo decoro iuſtae gravitatis.

Multa *aequanimitate*; ſive in ſtudiis ſuis erga diſſidentes ſibi, ſive alias, adverſus ipſos, a quibus temere laeſus videretur.

Modeſtus denique, ac hoſtis omnis faſtus, arrogantiae & magniloquentiae; quibus, quidquid ſibi miſelli, paupere licet haud raro in regno, arrogant, tollentes criſtas & incedentes magnifice, hominibus, aut commiſerationi, aut

odio ac ludibrio, ſummo vero ludici noſtro ſeverae deteſtationi ſunt. *Adverſatur* enim *Deus ſuperbis.*

De *Religione* noſtra recte ſenſit. Profeſſus eam iam Vltraiecti, atque albo Eccleſiae adſcriptus dudum, antequam Noviomagum, ne dum ad Academiam noſtram veniret. cuius Leges ab antiquo non alios merito ad Collegium noſtrum admittunt. Publico cultu ſacro, quam diu per valetudinem licuit, neutiquam parcus aut infrequens. Familiaribus colloquiis de rebus maxime ſeriis ſerius; cumque adfectu. Cuius mihi, tum alias, tum occaſione ſuperioris, paucis ante mortem hebdomadibus, acceſſionis morbi, & poſtea quam eam ſuperaſſe viſus, fuerunt documenta. Habuitque multis modis,

dis, ut publice per egregios ſacrorum antiſtites, ſic penes ſemet, per divinam prementem manum ac in dies graviora minitantem, apud domum porro ſuam, in propinquis, de quibus ſupra dixi, in aliis denique, quibuſcum verſabatur, quorum de numero mirabile quondam divinae gratiae exemplum Noviomagi, militiae olim praefectus Iacobus Ziegenmeierus, de cuius familiari conſortio plus ſemel loqui memini, valida ad veri nominis Chriſtianam pietatem incitamenta. Quibus ſi omnes indigemus, pro tarditate noſtra in rebus ſpiritualibus ac coeleſtibus; tum hos omnium maxime inter eruditos indigere exiſtimo, qui in ſimili, quo Noſter, Litterarum ſtadio per omnem vitam occupantur.

Reſtat ſupremus vitae actus, triſtisque exitus. Quem, pro more Academiae noſtrae, verbis, non meis, ſed politiſſimis, quae praeivit mihi clariſſimus reique Medicae experientiſſimus Collega noſter Guilielmus Ouvenius, exponam. Ita autem ille de Defuncto noſtro:

„Corpus habuit natura firmum „& robuſtum; ſed variis de cau„ſis, imprimis immoderato litera„rum ſtudio, plures jam ante an„nos valde debilitatum. Apparuit „autem quam maxime fractum vi„ribus, poſtquam anno 1740. Vir „clariſſimus, neceſſario tunc ex „itinere magnam vim frigoris pas„ſus, parapoplexia leviori affectus „eſt. Hac tamen, ut paulatim „ad ſe rediit, priſtinus mentis vi„gor non viſus fuit adeo imminu-

„tus.

„tus. Nec niſi triennio fere poſt,
„languorem aliquem coepit oſten-
„dere. Anno vero 1745. ſimili
„morbo corripitur, ſed graviori:
„qui quamvis feliciter ſatis eſſet
„ſublatus, ea tamen remanſit ma-
„la corporis diſpoſitio, quam Me-
„dici nullis huc uſque cognitis au-
„ferri remediis poſſe dolent; quæ-
„que incommoda impeditæ voca-
„bulorum pronunciationis, ſtupo-
„ris, aliaque notiſſima artis me-
„dendi peritis phaenomena ſolet
„producere.

„Propter hæc mala ab homi-
„num conſortio ſe paulatim ab-
„ſtinens, cubiculo calidiori fere
„affixus, ſtudiis perpetuo incum-
„bens, vitamque agens ſedentari-
„am, majorem jam in vaſis laxis,
„atque hoc vitæ inſtituto magis
„debilitatis, collegit pituitæ len-

„tæ copiam; quo ipſo factum eſt,
„ut plus ſemel poſtea metuendæ
„hemiplegiæ ſigna ſe manifeſta-
„verint. Illa vero latus maxime
„ſiniſtrum afficiebant, dum levio-
„res muſculorum motus tendi-
„numque ſubſultus in latere dex-
„tro obſervabantur. Sed hæc
„ſymptomata, quæ ſemper peri-
„culum ſolent portendere, me-
„tumque gravioris mali incuti-
„unt, remediis adhibitis identi-
„dem ceſſaverunt.

„Ante tres vero hebdomadas,
„*d.* 13. Novembris, eadem appa-
„ruerunt ſolito vehementiora, at-
„que corpus graviter quaſſatum
„tantopere afflixerunt, ut vix ul-
„la conſervandæ vitæ ſupereſſe
„videretur ſpes. Præter exſpecta-
„tionem tamen reſtitutus eſt in
„eam fere, quæ ante hunc paro-

„xysmum

„ xysmum fuerat, valetudinem;
„ cum ſolus per cubiculum proce-
„ deret, eoque, cui per annos as-
„ ſueverat, uti denuo inciperet
„ vitæ genere.

„ Sed breves admodum iſtæ fue-
„ runt induciæ. Die enim 16. De-
„ cembris latus corporis dextrum
„ vehementi convulſione valido-
„ que calore afficitur, latere ſini-
„ ſtro paralytico.

„ Augebantur autem ea mala
„ tam ſubito, ut brevi ſopitis ſen-
„ ſibus, accedentibus reliquis quo-
„ que apoplexiæ exquiſitæ ſignis,
„ Vir egregius hoc ipſo morbo
„ fuerit exſtinctus poſtero die cir-
„ ca horam tertiam pomeridia-
„ nam; poſtquam vixiſſet annos
„ 57, 4 menſes & duos dies.

Horribile ſpectaculum! a quo malim nunc oculos avertere, quam

multa verborum exaggeratione redire in memoriam eius. Commendavimus Virum optimum, & commendarunt amici alii, quod unicum hic fieri tunc poterat, iteratis precibus divinae clementiae ac miſericordiae in ſummo Soſpitatore noſtro. quam ſperamus impetraſſe, ad illuſtrem illum diem.

Soletur ſe optima Domus, cum Propinquis Amicisque, grata recognitione divini beneficii, cui unice debetur ſervatum ad hoc usque tempus cariſſimum ac venerabile depoſitum; multo ſane diutius, quam per annos iam aliquot exſpectandum, aut ſperandum fere videbatur. Temperent dolori, ex deceſſu, inopino nunc quidem ac ſubito, cari pignoris non immerito concepto. Subiiciant ſummo ſe Nutui, cuius non eſt placi-

torum ſuorum miſeris mortalibus reddere rationem.

Vosque, praeſtantiſſimi Iuvenes, qui inſtitutione Viri celeberrimi uſi eſtis, grati recolite, quae ad profectus in ſtudiis veſtris larga manu contulit. Inſpicite, quotquot in hac bonarum artium & ſcientiarum palaeſtra verſamini, velut in ſpeculum, in vitam eius, quam delineavimus, maxime induſtriam; & ſumite hinc exemplum vobis. Cogitate ſerio, & nunc, & per omnem vitam adſidue, quid Deo, quid publico aut Eccleſiae, quid Parentibus ac Patronis, quid vobismet denique ipſis & ſpei de vobis aliquando conceptae, debeatis. Atque, ut verbo dicam, quaecumque olim ſtatio contigerit, hoc operam date ſedulo, ne ignavo dediti otio in

aurem utramvis dormientium ſegniter, vel apud veſtros forte agricolas, ne dum amplius aliquando evecti ad theatrum, inutiles vos prodatis fucos, longiſſime arcendos ſemper ab alvearibus noſtris.

Nosque omnes, Auditores quotquot adeſtis, celebremus memores vera optimi Collegae noſtri in Rempublicam litterariam merita; quae ſuus facile poſt fata honos tuebitur. Hoc vero maxime, monſtrante adeo notabiliter digito ſummi Numinis, obſervemus ſerio, quam vana ac inanis ſit, quam incerta ac fluxa, ipſa hac durante vita noſtra, omnis humani ingenii atque eruditionis gloria. Caveamus ſolicite, ne obruat nos eadem; Vnico Neceſſario illo, quod doctrina Chriſtiana edocet,

inter

inter tot avocamenta, forte minus intentos. Quaeramus, inter ea, quae, pro ratione officii noſtri, ſtrenue agimus, ſolidiora in primis bona, profutura aeternum. Accincti lumbos, parati ſtudeamus eſſe ad improviſum etiam maxime Domini noſtri adventum. Ipſoque tremendo hoc exemplo (quod vero quot non in eruditis eximiis, provectioris praecipue aetatis & exhauſtarum per ſtudia ſua virium, conſpicuum exſtitit?) moniti, diſcere, divina implorata gratia, ſtudeamus, recte mori, antequam moriamur.

D I X I.

Pag. 7. *l.* 1. *leg.* ſic, nulla
Pag. 58. *l.* 7. *leg.* filia Ioannis
Pag. 68. *l.* 14. *pro* tres *leg.* quinque